

6

DISSERTATIONIS  
DE  
PROBATIONE,  
JURE JURANDO  
RELIGIOSE  
SANCIENDA,  
PARTIC. II.

---

QUAM  
CONSENSU AMPL. SEN. PHIL. R. ACAD. ABOENS.

*Publice examinandam sistunt*

SALOMON  
KREANDER,

*Phil. Mag. J. u. Licent. Jurispr. civ. & cum illa comercio  
arctiore junctarum scientiarum Adjunct. e. ord. & in Regis  
Regniq. Dicaster. Aboëns. vicar. Notar.*

ET

ABRAHAMUS CAJANUS,

*Ostrobotnienses.*

In Auditorio Majori Die *XVII. Octobris* MDCCLXXIX.

*Horis ante meridiem consuetis.*

---

A B O Æ

Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELL,

S:Æ R:Æ M:TIS  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
REGIS REGNIQUE DICASTERII WASENSIS  
CONSILIARIO,  
CONSULTISSIMO ATQUE NOBILISSIMO  
D:NO CAROLO HISING,

FAUTORI ATQUE MÆCENATI SUMMA  
PIETATÈ COLENDO.

*N*on favoris modo singularis, sed beneficiorum quoque, quibus me, Fautor Propensissime, plurimis ornare dignatus es, hoc exegit sensus, ut, prodeunte jam in lucem erudito hocce opere, summam, qua Te colo, pietatem animique venerationem, publico testarer monumento.

*Me*

*Me Parente utroque orbatum paterno fere complexus es amore. Faventissimi hujus Tui in me animi exstat documentum, munificentia, cujus participem me fieri voluit magnitudo illa animi Tui solita, & cui venerabundus adscribo, quod publici fieri juris possit secunda hæc præsentis dissertationis pars, Speciminis Academici loco mihi inservitura. Singularem hunc favorem cum nullo unquam demereri modo potuerim, in intimo illum recondam animi gratissimi repositoio, & gratias, etjamsi referre non valeam, maximas certe habebo, humillimasque. Pagellas idcirco hæc, quas piæ gratissimæque mentis Tibi consecrari jussit æstus, benigno atque propenso animo respicias, humillime etjam atque etjam obsecrat*

AMPLISSIMI NOMINIS TUI

*Devotissimus cliens*  
**ABRAH. CAJANUS.**

*VIRO Speciatissimo,*  
**D: NO JONÆ CAJANO,**  
Geometra per Ostroborniam Extraordinario, Sollertissimo,

**AVUNCULO HONORATISSIMO.**

**Q**uas Tibi debeo gratias, Avuncule Honoratissime, hac inprimis occasione publico testari monumento & volui & debui. Beneficia Tua in me collocata quam plurima enumerare, e re fortasse non erit. Sufficiat modo dixisse, tanta eadem extitisse, quanta a Parente indulgentissimo in filium proficisci unquam poterunt. Me namque mature & annorum meorum, ut dicam, primordiis, Parentibus orbatum, hæreditate quasi exceptum, filii omnia concedisti jura. Benevolentia hæc singularis & paterna omnino, animum meum obstrictissimum reddidit, quo jam Tibi, Fautor Æstumatissime persolvam atque in æternum habebo gratias maximas devotissimasque. Faventissima quæque, atque felicissima Tibi ex intimis expetit fata

**AMANTISSIMI NOMINIS TUI**

*observantissimus cultor*  
**ABRAH. CAJANUS.**

Quod ad *religionem*, five eorum, qui jurabunt, Deum colendi rationem, pertinet, sufficit, si modo Deum agnoscant, virtutum & in his veracitatis remuneratorem, & vitiis horumque teterrimo, perjurio, pœnas etjam in alia, post hanc, vita, infligentem. Cogitur hinc, nec *Atheos* nec *Deistas* jurisjurandi recte esse capaces, & malos hos cives ab hocce beneficio arcendos, quod si furrupuerint, feveras dabunt pœnas. Hoc de omnis generis *Materialistis* statui recte non potest. Cæteros, five *Hæretici* fuerint five *infideles*, a jurejurando non prohibet jus naturæ, nec legibus Svethicis antiquioribus & recentioribus semper prohiberi videmus; licet verum sit, illos qui *Kättare*, in proprio & antiquissimo vocis significatu, appellantur, & olim & hodie a jurejurando exhibendo, merito esse exclusos. (e) *Anabaptistas* autem & *Catabaptistas* ad præstanda juramenta, cogere, rem putamus esse iniquam, & ad jugulandam eorum conscientiam, qua salva jusjurandum præstari non posse, unacum antiquioribus hæreticis *Essenis* & *Basilideis*, credunt, impertune vergentem.

C

Vita

---

(e) In ordinantia Reg. GUSTAVI I. Upsaliæ die Apost. Petri & Pauli A:o 1538 data, quæ in SCHMEDEMANNI opere legitur pag. 7. hæc habentur verba: *Desse sägas vara ebrelöse och måge ey Lag gå eller vitne bära 2:o Alla de som Kjätteri brukar och medhålla, och frendsäm jospield göra. Vocem Kättare ita interpretatur Nob.*

*Vita & mores* Iurantium ut Iudici probati ap-  
 prime sint, omnes postulant morum ju. i. unque Do-  
 ctiores, Inec injuria; etenim jurisjurandi exhibendi fa-  
 cultas! & venia tam indicium quam præmium pro-  
 bi ingenii & fidei; vitæque probatæ jure censerî de-  
 bet, quod infra pluribus declarabitur. Qui itaque  
 nefandorum & infamium vitiorum aut comperiti sunt  
 aut accusati aut damnati, hoc privilegio jure exci-  
 dunt; eo autem, *pauperes & egenos*, ob solam eo-  
 rum egestatem, arcere, legi naturæ maxime est ini-  
 micum; tantum enim abest, ut paupertas, per se,  
 & suapte natura, vitium sit, ut potius Naturæ, pau-  
 cis contentæ, maxime conveniat, & qui eam instituit  
 talem, Divino ejus Auctori placeat necesse sit. Præ-  
 terea, quis est qui pauperrimi *Phocionis, Aristidis,*  
 Fa-

---

IHRE in *gloss*: ut sit, qui contra naturam peccat, unde  
*Kätterer* dicit consuetudinem esse maris cum mare s: in-  
 fandum pæderastiæ crimen. Hanc vocis allatæ antiquam  
 esse significationem, obstante tanti viri auctoritate, pro-  
 fus negare non audemus. Verumenimvero inauditum  
 antiquissimis & recentioribus Sveciæ legibus hoc esse  
 crimen opinamur, & incestum in primo & secundo gra-  
 du consanguineitatis, cit. loc: esse appellatum *Kätterer*,  
 (*förnärvärk*, *Leges Dalicæ & Vestgotbicæ*, quæ solæ incestus  
 olim meminerunt, habent,) in tertio vero & quar-  
 to gradu, *frendsemiospield*, & in gradibus affinitatis, *sif-  
 skapspiäll*, jure defendimus. *Wästeråbs stadga* de anno  
 1528. hæc habet verba: *För Kätterer med Moder, Sysser,  
 Stiffmoder, med Moderna och Dotterna och sådant, er eldz-  
 Jaak. Frendsemjospieldh som är y tredje och fierde leedh  
 bötes som för, bögmåles Jaaker; vid SCHMEDEMANNI*

*Fabricii*, quam opulentissimi *Cræsi* aut *Luculli* & *Crassi* juramentis plus non tribueret fidei? (f) Interim tamen nationes sunt & fuere, quarum legibus jusjurandi venia egenis ægre concedatur (g), in quibus itaque axiomatis fere instar valet illud: *quantum quisque sua nummorum servat in arca, tantum habet & fidei*. Et certe incidunt sæpe tempora resque, in quibus humana majorem constantiam sup-

---

Kongl. stadgar och förordningar angående justitiæ verket p. 9. Cumque argumenta non sunt numeranda sed ponderanda, plura ad opinionem nostram suffulciendam, non proferimus.

(f) Arduam quæstionem, quam solutam Lectori tradere ingenii & scriptionis nostræ modus vetat, an negotia publica pauperibus quam certa fortunarum copia instructis gerenda concedere consultum magis sit, anque horum quam illorum inviolabiliorem esse fidem, sumere jure liceat, bene tractat & exemplis illustrat acutissimus HELVETIUS in libro *de l' esprit* discours III. chap. XXIII. XXIV. tom 2.

(g) Quæ nec hodie dives est, pauperrima olim gens Sveogothica, juramenti tamen religionem vix aliorum fidei olim commisit, quam qui certi fundi & domicilii erant, atque certa opum copia instructi. In cod. Christoph. C. XXXIII. §. 1. *Tingm. B. LL. generalis hæc habetur regula juris: I allom Vitnom, Nempdom och Eedbom skula bolfaste mån vara*. Ipsam opum summam, qua minorem qui possidebant testabiles non habebantur, determinat XXIV ff. *Tingm. B. WÅSTM: L. ubi ita: Thån ma vitne båra, sum a til thriggia marka kost, ok dj thån mina a*. Veteres hæc leges, quæ & ipsa sua vetustate consenuerunt, & noyis legibus, an prudenti consilio vel mi-

supponit egeni fides, hinc cogenti durissimo necessitatis telo, illinc egestatis contumeliæ, illinc divitiarum illecebris & honori, simul & agmine quasi facto in unam irruentibus, solis suæ religionis armis oblectatura.

Qui

---

nus, nec facile nec in genere dixerim, apud nos plane sublata sunt, non prorsus dissimili modo, apud liberam & æqualem hominum naturalem mordicus urgentem magnæ Britannia nationem adhuc vigent & coluntur, ita ut nullus facile admittatur iudex, causæ patronus, quem advocatum vocamus, aut testis, alius, quam qui legibus statutas opes habet; vide solidissimum in Iurisprudencia Anglicana librum cui titulus: *Trials per Pais; or the Law of England concerning Juries, With a compleat treatise of the Law of evidence, the seventh edition, by GILES DUNCOMBE Esq; pag. 89: 90. ubi ita fatur: It is the general Course of the World to esteem Men according to their Estates; for quantum quisque nummorum sua servat in arca, &c. And sure I am the Makers of Law had Cause enough to do so in manys Cases, for if Men of less Estates should serve in Juries and witnesses, such Fellows would only be shifted into Inquests, as had more need to be relieved by money, than Discretion to sift out the Truth of the fact: 'Tis hard to get an unbiassed Jury now; but surely less Rewards would sooner bribe and byass meaner Men, than these. Therefore, lest Poverty or Necessity should tempt every Juror must have 4. l. per Annum, as aforesaid, of freehold out of Ancient Demesne &c. In juris prudentia Romana, prudentiæ quoque fuit regula, ut in majoris momenti litibus non nisi locupletes jurarent & ut in fide testium examinanda, an egeni vel divites essent, exploraretur L. III. ff. de Test.*



Qui jusjurandum præstare possent diximus: qui illud re ipsa præstare censeantur, dicamus. Hi vero esse alii non possunt, quam qui & animum sibi esse jurandi, sponte declararunt, & DEUM ut testem veritatis rei honestæ, de qua agitur, aperte invocant. Quod qui concedunt, omnes autem, qui quid sit jusjurandum recte sciunt, concedant necesse est, satis absque omni demonstratione intelligent, tam eos re vera esse injuratos, qui violentia & coactione, si modo illegitima fuit, (h) adacti, verba jurantia expromferunt, quam qui, ad juramentum dicendum fraude aut calliditate quadam, imprudentes & inscii ipsi, absque destinato jurandi consilio perducti sunt. Sic juramentum *Cydippes* (i), quod sibi dedisse credebat *Acontius*, quodque illa implere recte primum detrectavit,

D

(b) Quin, multa irrogata aut carcere, cogi ut jurent, recte aliquando possint homines, veritatis professionem detrectantes, & quin jusjurandum coactione legitima si-ve metu justo elicited, validum sit, negari nequit; cfr. XVII: 3. 5. R. B. & X: 1. U. B. vide etjam, si volupe est, l. 16. l. 19. C. de test. & Novell. XC. cap. 8.

(i) Est apud Ovidium, fuisse quendam Acontium, qui nobilem virginem nomine Cydippen deperdite amavit, cujus amorem ut eo arctiore vinculo sibi adstringeret, novum meditabatur stratagema amoris, ita ut, cum illam in templo Dianæ haberet sibi obviam, ante pedes amatissimæ puellæ pomum dejiceret, cui inscripta fuit hæc jurandi formula;

stavit, (k) at animam agens, ob juramenti, ut credebatur, vim, implevit, fuit sine omni relaxatione nullum.

De personis, quæ jurabunt, nil magnopere habemus, quod ductu legis naturæ dicendum ulterius esset; illustrationis tamen & exempli ergo, nonnulla ex *Jure Romano*, delibare placet. *Legs Julia* de vi caveatur, *ne in reum testimonium dicere liceret, qui se ab eo, paren-*

*Juro tibi sanctæ per mystica sacra Dianæ,  
Me tibi venturam comitem sponsamque futuram.*

Seu ut alii jurantia hæc verba habent:

*Me tibi nupturam, felix eat omen, Acontii,  
Juro quam colimus, numina magna Deæ.*

Hoc pomum ubi in manus sumsit puella, & jurandi formam ei inscriptam recitavit, advolat Acontius, & amorem Cydippes jurejurando sibi datum esse & confirmatum, stulte urget.

(k) Verba ipsa Cydippes, quæ hic non afferre, ob singularem suam elegantiam & vim, non possumus, errorem Acontii optime refellunt. Ita vero illa:

*Quæ jurat, mens est: nil conjuravimus illa,  
Illa fidem dictis addere sola potest.  
Consilium, prudensque animi sententia jurat,  
Et nisi judicii vincula nulla valent.  
Si tibi conjugium volui promittere nostrum,  
Exige polliciti debita jura thori.  
Sed si nil dedimus præter sine pectore vocem,  
Verba suis frustra viribus orba tenes.  
Non ego juravi, legi jurantia verba.*

OVID. Epist. Heroid, XXI, v. 135. & seqq.

*parente ejus, liberaverit: qui judicio publico damnatus erit: qui in integrum non restitutus erit: quive in vinculis custodiae publica erit: quive ut ad bestias pugnaret, se locaverit: quæve palam quæstum faciet feceritve &c. (l). Hermaphroditus an ad testandum adhiberi possit, qualitas sexus incalescentis ostendet. Ob carmen famosum damnatus intestabilis fit. Si ea rei conditio sit, ut harenarium vel similem personam, admittere cogamur, sine tormentis testimonio ejus credendum non est (m). Unus testis nullus testis, etiamsi præclaræ Curie honore præfulgeat (n). Ex his, qui sit jurisprudentiæ Romanæ, in articulo de jurejurando, genius, quantenus intelligi potest.*

### §. VII.

*Res, de quibus jurari potest, sunt in universon omnes, quæ in jus venire queunt, tam corporales ut vocamus, quam incorporales, fungibiles quam infungibiles, mobiles itidem ac immobiles. De iis autem, quæ physice impossibilia appellari solent, jurare, vesanum esse & impium, quis nescit? Unde & irrideri solet Regum quorundam Indiæ occidentalis augusta stoliditas, qui die coronationis juramento confirmare solebant, se regnantibus, tempestivam semper fore pluviarum copiam, magnam ubivis annonæ ubertatem,*

D 2

tem,

(l) L. 3. ff. de Testib.

(m) LL. 15. 21. eod.

(n) L. 9. C. de test.

tem, nullas unquam campis insurrecturas esse fluminum inundationes, cæt. Parum autem abest, quin irrisores horum Regum, irridendi potius ipsi sint, quippe qui verba quam sensum eorum nisi magis spectassent, risum tenere debuissent; ut bene observat Ill. DE REAL, cui pollicem hac in re, merito premimus (a). *Moraliter impossibile eadem ferè est ratio ac eorum quæ physice impossibilia sunt; ita tamen ut de illis jurare, & juratæ fidei satisfacere, multo magis sit impium, & non minus invalidum atque irritum. Nam ut DEUS testis sit rerum turpium & injustarum, ac fidei de iis perpetrandis datæ & solvendæ vindex, frustra & impie expectatur. Placet hac de re BARBEYRACIUM audire, egregium hoc in loco*

---

(a) Ita vero ille: *Les anciens Souverains de Mexique faisoit un serment extremement singulier, que tant qu' ils regneroient, les pluies tomberoient a propos, que les rivieres ne feroient point de ravages par leur debordemens, que les campagnes ne seroient point affligees par la sterilité, ni les hommes par les malignes influences du soleil. Plusieurs Ecrivains ont fait de railleri de ce serment, mais on peut douter, qu' ils aient vi a propos. Les expressions, qui le composent, extravagantes sans doute, si on les prends a la lettre, ont un tres bon sens, a en juger selon l' esprit. Les Mexicains pretendoient sans doute, par ce serment engager leur Eupereur a regner avec tant de justice, qu' il n' attireroit pas de son Chef la colere du Ciel, pensant que les calamités, qui tombent sur les peuples, sont la punition des excès de leur Rois. Voiiez la science du gouvernement par M. DE REAL, Tom. 4. p. 648, 649.*

loco PHILONIS Judæi paraphraften (b): Que tous ceux, qui se portent a quelque chose d'injuste, parce qu'ils ont juré de le faire, sachent que ce n'est pas être religieux observateur du serment, mais que c'est plutôt renverser & détruire la nature de ce saint acte qui demande tant d'attention & de circonspection, & qui est établi pour confirmer des choses justes & honnetes. Car on ajoute faute a faute, lors qu'après avoir fait un serment qu'on ne devoit pas faire, on se porte a des actions illicites, dont il valoit beaucoup mieux s'abstenir malgré le serment. Qu'on se garde donc bien de commettre alors de telles actions, & que l'on implore la miséricorde de DIEU, en lui demandant pardon du serment temeraire, qu'on a fait. C'est un extravagance & une vraie fureur, que de vouloir faire deux maux, quand on peut en être quitte pour un. Tum certe scelus est fides, ut ille dixit (c). Apud DIONYSIUM HALICARNASSENSEM (d) etjam legimus egregiam illam, *παις καὶ δικαίαις παραλαμβάνεται Φιλῶν ἰμολογίας, ἐν ἐπιαισχραῖς καὶ ἀδίκοις.*

Quam vesanum est physice impossibilia jurando promittere; quamque impium de rebus illicitis jurare; tam quoque inverecundum & impudens cense-

D 3

mus,

---

(b) Le droit de la guerre & de la paix par Hugues GROTIUS traduit par J. BARBEYRAC page 448.

(c) SENECA Herc. Oet. vers. 481.

(d) Antiqu. Rom. lib. XI. cap. XI.

mus, horrendum DEI nomen, litibus minoris & minimi pretii, jurando interponere. Vides tamen non raro accidere, ut de lana caprina, aut umbra asini, aut aliis ejusdem furfuris rebus, quæ vix nuce casta dignæ sunt, in foro disceptantibus liceat ad cærimoniam jurisjurandi confugere, & non uno sed sexcentis juramentis asserta sua probare. Certum quidem esse potest, quod dicitur, DEUM omnes res, quæ ex nostra mensura maximi aut minimi esse valoris arbitramur, uno eodemque oculo adspicere, & ut dixit POPE, labantem passerulum, æque ac semianimem Heroa, ad DEI curam pertinere. Verum enim vero, cum licitum in foro est, quamvis rem jurejurando probare, hæcque probationis via, utut brevissima, & oscitantiae ac præcipitantiae judicum maxime arri-dens, nulli interclusa est, accidit, quod dixit PHILO (e) ut *Φύλαξ ἐν πολυορκίας ψευδορκίας καὶ ἀσέβειας*, & tam polluta olim jurisjurandi & nominis Divini profanatio, ut suas tandem exspuat terra incolas. Causa in promptu est. Quæ nimis evadunt vulgaria & quotidiana, sancta esse diu nequeunt, sed spreta evilescunt, proculcantur, sordent.

Ne itaque Francicum illud: *Je vous prie de me prêter vos temoins pour quelques jours*, posthac etjam apud nos vulgare fiat, & ne in aures eorum, qui in jus ibunt, obvii nebulones infusurent teterrimum illud: *je suis témoin a votre service*; apprime credimus  
neces-

---

(e) in lib. de Decal. pag. 757.

necessarium esse, ut, præterquam quod jusjurandi venia non omnium esse debeat privilegium, qua de re dictum est & dicetur, certa legibus statuta sit *summa*, si dicere licet, *jurabilis*, ad mediocritatis regulas, ut unquam in quavis regione fieri potest, commodissime & prudentissime exacta, ad ejus summæ pretium litem adscendere ante probandum semper esset, quam jusjurandum ei interponere aut litigantibus liceret aut testibus: ita ut, quemadmodum *summa* in multis judiciis determinata est *appellabilis*, infra quam positas lites ad superiora judicia appellare non licet; ita & ad nomen numenque Divinum, in rebus infra summam jurabilem positis, provocare esset interdictum. Multa argumenta in opinionem hanc pugnantiâ pervidemus; fortissimum tamen eorum & maximum esse arbitramur, quod nova sit.

Ultimo observamus, esse tamen res quasdam criminales casusque alios paucissimos, in quibus jusjurando probare litigantibus ipsis non licet, vide Cap. XIV. §. 10. Cap. XVII. 29. 30. 32. 34. R. B.

### §. VIII.

De loco & tempore, quibus recte dicitur jusjurandum, fuse commentari non est necesse, apparet enim legem naturæ hic nihil fere præcipere, nisi quod jusjurandum quovis loco quovisque tempore recte præstetur, si sancte præstatur. Quod vero lege naturæ non definitur, leges civiles, decori & ordinis tuendi

caus-

caussa, definiant sæpe necesse est. Ad *tempus* itaque quod attinet, iustitium, necessario, apud nos nunquam nisi festis diebus indictum est; cæteris omnibus, cum judiciales sunt & juridici, jusjurandum deponi recte potest; quod speciatim observare, utut notissimum, operæ pretium non esset, nisi hæc omnia antiquitus aliter constituta fuissent; vid. Cap. X. *Björkóa Ráttár*, Fl. 5. *Thing B. Upl. L.* Fl. 17. *Kyrkiu B. WástG. L.* Fl. 12. *Ráfst B. ÓstG. L.* &c. ubi certa tempora & certi dies superstitione excipiuntur (a), quibus præstita juramenta irrita fuere, & *aflaga edher* ideo appellata (b). “Quin & hoc observatu dignum est, in Ethnicismo nulla etjam juramenta *post occasum solis* in patria nostra præstita esse (c): unde Fl. 5. *Thing B. Upl. L.* §. 4. *Gitter gangit edh sin fori Solasáter, vari saklös*, i. e. si ante occasum solis præstare juramentum possit, absolvatur; & cit. loc. *Ráfst B. ÓstG. Ok egh um Natt edh ganga, sidhan Sol ár undi vidhi*, i. e. non noctu juramentum præstare, post occasum solis. Cfr. etjam Fl. 7. *Thing B. Hálf. L. & Gothlands L. c. 31.*”

(a) Eiusdem superstitionis dicam etjam Romanis scribere possumus; vide LL. 7. 11. C. de Feriis.

(b) Specialissimum itaque est privilegium quod habetur in Fl. 6. *Thjuf B. Suderm. L. Sáki ok svári sak til hans a thy sama Thinge, hvat tþet ár i fastu áller utan, um helgondag eller sukn, i fridhi áller fridba mállum.*

(c) Totam hanc observationem celeberr. J. u. D & Prof. CHRIST. NETTELBLADTIO debemus; vid. ejus *Themis Romano-Svecica* pag. 281, 282.